

BOLLA DI EREZIONE DEL VESCOVADO

In nomine Domini, Amen. Cunctis ubique pateat quod anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi MDCCCXXXLV, die vero VIII Iunii, Pontificatus autem Sanctissimi Domini nostri Gregorii Papae XVI anno XIV ego Officialis deputatus vidi et legi quasdam Litteras Apostolicas sub plumbo expeditas tenoris sequentis, videlicet — Gregorius Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ut animarum Pastores dominici gregis partem eorum fidei traditam ea qua par est vigilantia tueri, atque ad aeternae salutis pascua perducere possint, illud in primis cavendum est, ne concreditarum ovium numerus cuiusque licet solleciti Pastoris operam ac vires exsuperet. Cui sane incommodo eum felicis recordationis Pius septimus praedecessor noster obnoxias perspexerit Dioeceses Sicana in Insula ultra Pharum constitutas, eas denuo circumscribendas esse, novasque ibidem constituendas episcopales Ecclesiastis praestituit in Conventione, quam anno millesimo octigentesimo decimo octavo cum Ferdinando primo clarae memoriae Siciliarum Rege iniit sancivitque. Quandoquidem igitur eiusmodi saluberrimi consilii ad exitum perducendi opportunum tempus adventasse noverimus, accendentibus quoque postulationibus ac votis carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi secundi utriusque Siciliae Regis illustris, per similes Apostolicas Litteras datas idibus Maii, decimotertio, et octavo halendas Junii currentis anni praedictas Dioeceses circumscriptimus, et Syracusana Ecclesia ad Archiepiscopatus apicem evecta, Netensem et Calatanisiadensem episcopales Ecclesiastis Apostolica auctoritate ereximus ac constituimus. Nihilominus ad tanti momenti rem penitus componendam idem Serenissimus Rex a Nobis impense postulavit, ut a praegrandi Mazzariensi Dioecesi nedum ea novem oppida sejungeremus, quae Archiepiscopatui Montis Regalis Ecclesiae memoratis superius Apostolicis Litteris attribuimus, sed aliis insuper sex oppidis, seu paroeciis ab ipsa Mazzariensi Ecclesia divulsis, ea quidam ad spiritualem illorum fidelium utilitatem novo Episcopatui ut infra erigendo adjudicaremus. Tanta siquidem est

Mazzariensis Dioecesis amplitudo ac gregis copia per vastum ipsius territoriorum diffusa, tamquam longo ac plerumque incommodo intervallo quaedam ex iis oppidis ab episcopali sede distant, ut fideles ibi degentes nec facile Pastorem adire, nec infra praefinitum a sacris Canonibus tempus eius praesentia ac monitis recreari possint, atque adeo illorum nonnulli ipso Confirmationis Sacramento diutius careant. Quamobrem ut hisce incommodis occurramus, novum Episcopatum erigendum, eiusque sedem Drepani constituant censuimus. Drepanum etenim, quod olim Phoenices, Teucros, Grajos, et Carthaginenses imperio tenuisse fertur, in extrema Trinacriae parte ad Mediterranei littus positum ceteris Drepanensis provinciae oppidis praecellit. Multa siquidem eademque elegantia aedificia continet, nec non publica Instituta sive ad litteras doctrinasque excolendas, sive ad egenos et infirmos recipiendos curandosque. Praeterea multorum militum praesidio munitum ac moenibus circumscriptum Tribunalia habet tum civilibus controversiis dirimendis, tum criminibus judicandis. Ad haec fertilissimo solo gaudet, et portu auctum commercio in primis floret, ac tria supra viginti ferme hominum millia comprehendit, ex quibus plerique generis nobilitate, majorum gloria, atque ingeniorum cultu commendantur. Aliquot etiam ibi extant Monasteria, ac plures sacrae aedes quas inter eminent parochialis et collegiata Ecclesia Deo dicata in honorem Sancti Laurentii, quae molis amplitudine et elegantia illustris, collegio Canonicorum aucta, ac multorum Martyrum reliquiis celebrata, digna prorsus videtur, ut ad cathedralis Ecclesiae dignitatem eveneratur. Iam vero cum ad novam hanc episcopalem sedem dotandam necesse sit, ut ex stabilibus bonis necessarii fructus percipientur, idcirco collatis cum Serenissimo Rege consilii supprimendam decrevimus Abbatiam, sive Prioratum a Sanctissima Trinitate de Delia nuncupatum, in quem idem Serenissimus Rex iure patronatus gaudet vel ex fundatione, vel ex donatione aut privilegio Apostolico, cui hactenus non fuit derogatum, et cuius redditus quibuscumque subductis oneribus quotannis pertingunt ad uncias mille supra quingentas, sive ad romana scutata tria millia septingenta et quadraginta quatuor, quae quidem pecuniae vis ad praedictam Ecclesiam necessario censu instruendam satis esse videtur. Hisce alliisque sane gravissimis rerum momentis adducti, piisque carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi secundi utriusque Siciliae Regis postulationibus ac votis libentissime obsecundantes, contrariis quibuscumque tametsi speciali mentione dignis

minime obstantibus, et supplentes, quatenus opus sit, consensui omnium quomodocumque interesse habentium, motu etiam proprio, certa scientia, et Apostolicae potestatis plenitudine, praeter ea novem oppida, quae a Mazzariensi Dioecesi dismembrata Archiepiscopatui Montis Regalis adjudicavimus, alia insuper se ex iis oppidis, quae supersunt, quaque continere dicuntur centum et octaginta circiter incolarum millia, ab eadem Mazzariensi Dioecesi dismembramus ac prosus separamus, hac scilicet, quae vulgo dicuntur Trapani-Monte S. Giuliano-Paceco-Citta-Favignana isola-Pantelleria isola, ipsarumque insimul territoria, et cunctas quae inibi extant Ecclesias sive parochiales, sive succursales, sive simplices, Monasteria, Conventus, ecclesiastica quaeque Instituta, nec non saecularia, et quorumvis Ordinum regularia beneficia, quae in praefatis oppidis sive paroeciis atque territoriis reperiunt, aequae ac singulas utriusque sexus personas incolas atque advenas, tam laicos, quam clericos, Presbyteros, Beneficiatos, Religiosos cuiuscumque gradus, status, ordinis, et conditionis ab ordinaria iurisdictione, potestate, et superioritate Antistitis Ecclesiae Mazzarense perpetuum in modum eximimus, penitusque subtrahimus. Iam vero cum compertum sit praeter decimas, quae ab Episcopo Mazzariensi erogari dicuntur ad augendam aliquot Parochorum congruam, alias insuper decimas in praedicto oppido vulgo nuncupato Monte S. Giuliano, ut praefertur, dismembrando, novique Episcopatus Dioecesi inferius adiudicando, reperiri ab antiquo institutas pro congrua dotatione quinque Canonicatum Cathedralis Mazzarensis, idcirco ut qui gaudent istiusmodi decimis nihil in posterum detimenti capiant, volumus ac decernimus ut ipsaemet decimae in praefatum usum destinate perpetuo exigi ac percipi queant ab unoque, cui titulus adfuerit eodem profecto quo antea iure a regia etiam potestate et cura quemadmodum pollicitum est tuendo. Deinde cum ex causis superius adductis omnino praeest memoratam Sancti Laurentii Ecclesiam collegiatam ad Cathedralis honorem attollere, cumque ad hoc necesse sit ut collegialis titulus antea supprimatur, idcirco eidem Templo Sancti Laurentii, nec non ipsius Capitulo collegialem titulum adimimus, atque in perpetuum abolemus cum omnibus siquidem favoribus, gratiis, praerogativis, et privilegiis hucusque impetratis vel legittime quaesitis adhibitusque. Relinquimus tamen eique ut antea adservamus parochialitatem cum iisdem priscis iuribus, atque oneribus. Praeterea cum Drepani oppidum dignum p[re]ce ceteris eius provinciae sit, quod

splendidiori titulo decoretur, idem erigimus atque constituimus in civitatem episcopalem omnibus et singulis fruituram honoribus, iuribus, privilegiis, atque praerogativis, quibus aliae in Siciliae Regno ultra Pharum civitates episcopali titulo decoratae eorumque cives utuntur et gaudent. Mox vero templum ipsum, retento pristino S. Laurentii titulo, adservataque illi animarum cura, erigimus ac perpetuo constituimus in novam cathedralem Ecclesiam Drepanensem in posterum nuncupandam, ibique erigi volumus sedem, sive cathedralam episcopalem pro uno deinceps Episcopo Drepanensi similiter nuncupando, qui eidem Ecclesiae, civitati, et Dioecesi Drepanensi inferius assignandae praesit, Synodum dioecesanam convocet, nec non omnia et singula iura, officia, et munia episcopalia possideat, exerceatque cum Capitulo cathedrali posterius constituendo, itidemque cum arca, sigillo, Mensa, et Curia episcopali, caeterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, iuribus, ac iurisdictionibus praeminentibus, praerogativis, privilegiis et indultis realibus, personalibus, et mixtis, quibus aliae cathedrales Ecclesiae in praefato Siciliae Regno ultra Pharum, earumque Praesules gaudent, dummodo ex peculiari privilegio non sint eis attributa. Proinde mandamus, ut eadem Ecclesia sacra etiam suppellectili ad pontificalia exercenda instruatur, sicuti ad promissum est ex Serenissimi Siciliarum Regis pietate et cura. Ut autem Ecclesia Drepanensis in Cathedralem erecta propriam habeat Dioecesim, praedictam Drepani civitatem et caetera cuncta loca, oppida seu paroecias superius singillatim recensitas, et ab Episcopatu Mazzariensi eiusque ordinaria iurisdictione exemptas atque avulsas, itidemque respective inibi consistentes et consistentia beneficia quaque, Ecclesias, Monasteria, pia Instituta, nec non utriusque sexus seculares et regulares personas, non tamen exemptas, tam Clericos, quam Presbyteros, et Beneficiatos quoscumque illic inhabitantes novae antedictae Ecclesiae episcopalii Drepanensi, illiusque pro tempore futuro Praesuli pro suis civitate, Dioecesi Clero et populo perpetuo assignamus, eiusque ordinariae iurisdictioni, potestati, ac superioritati subjicimus atque adjudicamus. Deinceps, ut in memorata Sancti Laurentii Ecclesia insigni Cathedralis honore aucta divinus cultus ea qua par est celebritate ac splendore exerceatur, volumus ac mandamus, ut inibi cathedralē Capitulum erigatur cum omnibus iuribus, honoribus, atque oneribus iustiusmodi cathedralis Capitulis, et personis per sacros Canones concessis atque attributis, illudque interim constare praecepimus

iisdem, quibus antea in Collegialitatis statu gaudebat, dignitatibus ac canonicalibus praebendis: mandamus proinde ut nedum illae canonicales praebendae, quae pro Praecentore seu Ciantro, et pro Decano comparatae sunt, sed et ceterae octodecim praebendae, quae pro totidem Canonicis fundatae reperiuntur, protinus donentur praestantiore titulo Canonicatum cathedralium. Declaramus vero ac statuimus, ut praebenda, quae pro Praecentore sive Ciantro adsignata est, primam post pontificalem, altera autem, quae adsignata est pro Decano, secundam eius Capituli dignitatem et praeminentiam secum perpetuo ferat, utque ipsi eidem praebendae, cui antea in statu Collegialitatis, item in posterum inhaereat animarum cura cum iisdem ut antea iuribus atque oneribus, ab eius pro tempore rectore substinentia atque exercenda. Praeterea concedimus atque indulgemus, ut ipsaem viginti canonicales praebendae absque Bullarum expeditione pro hac vice tantum retineantur ac possideantur ab hodiernis respective rectoribus cum iisdem prorsus primitus adnexit. Volumus item ac mandamus uti quamprimum alteri ex memoratis Canoniciis, iis tamen exceptis, qui privato juripatronatus obnoxii fortasse fuerint, officium et obligationes Canonici theologalis, alteri autem officium et obligationes Canonici poenitentiarii in perpetuum iniungantur, utque in posterum iuxta sacrorum Canonum praescriptum nonnisi praevio concursu conferantur. Quoniam vero ex redditibus predictae Abbatiae regii patronatus ut supra commemorati verta pecuniae vis inferius designanda cessura sit in supplentum praebendarum canonicalium Cathedralis Netensis Ecclesiae, idcirco declaramus ac statuimus, ut reservata per modum regulae Apostolicae huic Sedi primae dignitatis collatione, itemque liberis permanentibus prout de jure collationibus praebendarum theologalis, poenitentialis et curatae. eidem Serenissimo Regi jus sit nominandi ad illum praebendarum numerum, quae aut reipsa habeant aut considerari poterunt perinde ac si haberent integrum dotationem in ea redditum abbatialium parte, quae eidem Capitulo assignanda veniet. Insuper quum hactenus nulla Beneficia choralia fundata reperiantur in eo Sancti Laurentii Capitulo, quumque in hoc praesertim novo rerum ordine opus sit residentialibus beneficiatis, qui inferiora munia ecclesiastica exercere teneantur, praecipimus ac jubemus, ut et paraefatis eiusdem Capituli Canonicis (illis tamen exceptis, qui pro Praecentore sive Ciantro, pro Decano, pro Parocho, pro Canonico theologo et poenitentario, illisque etiam exceptis, qui forsitan sint

patronatus jure affecti) sex canonicales praebendae illico, sive nunc pro tunc, quum primum vacaverint, supprimantur, hac porro adiecta lege, ut inde sex constituantur beneficia residentialia pro ipsa Cathedrali, utque istiusmodi beneficiale praebendae, habita nempe ratione inferioris gradus, minorumque officiorum ab unoquoque ipsarum rectore dein exercendorum, congruam quidem pristinae dotationis partem ad instar ceterorum beneficiorum cathedralium obtineant; at quidquid bonorum ac reddituum inde forsan supererit, id omne bonis ac redditibus pro eiusdem cathedralis Ecclesiae fabrica, et sacrario in perpetuum assignetur atque accrescat. Ut vero divina officia et ecclesiastica quaque munia diligentius expleantur, volumus ac mandamus, ut nisi apud praedictum Capitulum quotidiana distributio-nes in usu fuerint, quamprimum instituantur ex tertia praebendarum parte, aut aliunde tantumdem constituatur in hunc usum, atque adeo ut eiusmodi distributiones ex ecclesiasticae legis praescripto a praesentibus percipientur. Ut divini cultus splendor et dignitas augeatur, atque eminentiori Cathedralitatis titulo, quo Sancti Laurentii Ecclesiam insignivimus, splendidiora quoque insignia atque choralia indumenta respondeant, facultatem impertimur, ut duo illi Dignitarii, ac caeteri Omnes Canonici, itemque Beneficiati (simul ac ut praefertur instituti fuerint) eadem utique choralia indumenta atque insignia, quibus aliorum Capitulorum cathedralium in Sicilia ultra Pharum extantium. Canonici, et Beneficiati, non tamen ex peculiari gratia et privilegio obtentis, respective utuntur, deferre, gestare, illisque uti licite, libere, ac perpetuo possint et valeant tam in dicta Cathedrali Drepanensi, quam extra illam, quoties ipsi sive ad supplicationes publicas, sive ad sacra solemnia, sive ad alias ecclesiasticos actus capitulariter convenerint. Item eiusmodi Capitulo, prout supra erecto atque ordinato, impertimur facultatem ex integro etiam condendi capitularia statuta, ordinationes, et decreta sacris tamen Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, et Concilii Tridentini decretis consentanea, ab ordinario scilicet Antistite expendenda atque adprobanda, ut robur plenamque vim legis habere queant; idemque Capitulum frui volumus omnibus et singulis gratiis, honoribus, praerogativis et privilegiis, quibus fruuntur caetera Ecclesiarum cathedralium in Sicilia ultra Pharum extantium Capitula, dummodo in usu sint, nec fuerint peculiari indulto vel titulo oneroso adquisita. Quoniam vero maxime Nobis cordi est, ut adolescentes Clerici in religione ac litteris probe instituantur, et procul a mundi illecebris

ecclesiasticae militiae prope sanctuarium, cui inservire debent, a primis annis assuescant, volumus ac mandamus, ut ad Concilii Tridentini praescriptum dioecesanum Seminariu in aere satis ampla, atque opportunis rebus instructum quamprimum erigatur. Hisce rebus omnibus praeordinatis atque decretis, cum oporteat omnino ut congruae dotationes assignentur pro Mensa novi Episcopatus Drepanensis, pro Seminario dioecesano, pro supplemento praebendis capitulo cathedralis templi adiiciendo, pro ipsius aedificio incolumi servando, pro sacrario ad suppellectilem divino cultui necessariam comparandam; cumque in praesens ad haec nihil aliud vel facilius vel accommodatius adhibere fas sit, propterea ipsam, de qua superiorius mentio facta est, vacantem Abbatiam sive Prioratum sub titulo Sanctissimae Trinitatis de Delia, quae Abbatia, ut supra dictum est, quibuscumque deductis oneribus quotannis praebere solet uncias mille supra quingentas et sexaginta, sive scutata romana tria millia septingenta et quadraginta quatuor cum omnibus primaevis quibuslibet juribus, honoribus, praerogativis, favoribus, et gratiis quoque modo hucusque attributis ac etiam quaesitis, omnino suppressimus, funditusque in perpetuum abolemus, eo scilicet intuitu, ut eiusdem redditus in varias mox decernendas novae Mazzariensis Dioeceseos necessarias dotationes impendantur ea mensura, quae Serenissimi eiusdem Regis patroni desideriis ac postulationibus respondeat. Atque in primis Mensae Drepanensis Episcopatus consulturi, ut eiusdem Antistites propriam dignitatem tueri atque impensas sustinere possint ad Dioeceseos regimen necessarias, eamdem Mensam perpetua adsignatione constituimus atque adiudicamus ex bonis ac redditibus Abbatiae predictae sub titulo Sanctissimae Trinitatis in anno censu non minore unciis millibus, sive romanis bis millibus et quatuorcentum scutatis. Insuper iniungimus, ut ea bonorum donatio, quam aiunt a bonae memoriae Canonico Ciantro De Luca Drepanensi pro Episcopatu Drepani erigendo quondam factam fuisse, in id porro vendicetur atque adhibeatur. Porro cum praefatae canonicales praebendae, ut ipse etiam Serenissimus Siciliarum Rex probe inspexit, redditus aliquatenus minores suppeditare censeantur iis qui novo earum titulo adnexorumque munerum rationi convenire videantur; idcirco demandamus, ut pro supplemento cathedralium harum praebendarum impendantur ex redditibus praefatae Abbatiae summa non minor annuis unciis centum, sive scutatis romanis biscacentum et quadraginta, quo eorumdem possessores propriam dignitatem susti-

nere decentius valeant, et ad chorialis officii partes diligenter explendas vehementius excitentur. Eo insuper consilio, ut occurri possit necessariis impensis sive ad fabricae Cathedralis incolumitatem servandam, sive ad sacram suppellectilem comparandam prater eos redditus, qui forsitan aliquando supererunt post erectionem beneficialium praebendarum de quibus superius mentio facta est, insuper ex antedictae Abbatiae bonis ac redditibus perpetuo modo adsignamus, atque constituimus annuam summam non minorem centum unciis, sive scutatis romanis biscentum quadraginta pro dotatione eius cathedralis fabricae et sacrarii. Praetereaque declaramus, ut sarta tectaque maneant omnia et singula bona, et quicumque census si qui antea fortasse in hunc usum inibi extiterint; acceptum denique ratumque habemus promissum, quo Serenissimus Rex asseruit factum iri, ut eadem cathedralis Ecclesia hac prima vice instruatur necessaria suppellectili ad pontificalia decenter obeunda. Item pro ecclesiastici Seminarii, uti superius dictum est, quamprimum istituendi dotatione assignari atque in perpetuum constitui volumus pecuniae summam non minorem annui biscentum unciis, sive quatuorcentum et octaginta scutatis romanis ex praefatae Abbatiae Sanctissimae Trinitatis de Delia bonis ac redditibus desumendam. Cum illud in praesens haud satis constet, utrum praestet antedictae Abbatiae a Sanctissima Trinitate nuncupatae redditus dispartiri, eosque singulis recensitis dotationibus singillatim adsignare, vel potius universa bona, et redditus eiusdem Abbatiae tribuantur, penitusque adiudicentur Mensae episcopali Drepanensi, adiecto siquidem onere atque obligatione, ut quotannis ex eadem Mensa pendatur ea pecuniae vis, quae pro singulis dotationibus superius assignata est, demandamur ideo, ut Exequutor Bullae in id negotii inferius deputandus alterutrum ceu comodius atque utilius pro rerum adjunctis visum fuerit consilium queat seligere, ita teman ut super universis istiusmodi abbatialibus bonis, vel super eorum parte protinus libera et pacifica possessio iniri valeat ad quemcumque id iuxta alterutram ex antedictis axiteturam rationem pertinuerit. Quandoquidem vero ex annuis memoratae Abbatiae Sanctissimae Trinitatis redditibus pars quaedam absimitur in ecclesiasticis quibusdam pensionibus persolvendis, firmum ratumque habemus Serenissimi Regis propositum, ut dum usque ipsae pensiones perduraverint et quae oportuerit pecuniae vis ex arca spoliorum sediumque in Trinacria vacantium desumatur, eademque in praedictas pensiones impendatur. Ut autem Ecclesiae Drepa-

nensis pro tempore Episcopus proprias habeat aedes, easque dignitati suae convenientes pro eiusdem habitatione, eiusque Curiae episcopalis residentia, perpetuo assignamus palatum, quod cathedrali Ecclesiae magis quam fieri poterit proximum Serenissimus Siciliarum Rex pollicitus est in promptu illico futurum, simul ac eadem Ecclesia de Pastore fuerit provisa; itidemque perpetuo modo destinamus, assignamusque aedificium satis amplum pro Seminario dioecesano ex praescripto sacrorum Canonum instituendo, quemad modum ipsemet Serenissimus Rex se diligenter id effecturum spopondit. Ne vero quidquam illorum desit, quae ad rectam Dioeceseos Drepanensis procurationem requiruntur, mandamus ac praeципimus, ut omnes et singulae scripturae, instrumenta, beneficiorum ac legatorum fundationes, testamenta, aliaque cuncta documenta, et tabulae, quae ad res et personas oppidorum, seu paroeciarum et locorum ut superius dismembrandorum, pertinent vel respiciunt, quamprimum disquirantur, secernantur et axtrahantur a pristina Cancellaria episcopali, protinusque inserantur et adserventur in Cancellaria Drepanensis Episcopatus, cuius ordinariae iurisdictioni, regimini et potestati eadem singillatim oppida cum territoriis et caeteris adnexis in posterum ex praestabilita dismembratione subiecta esse contigerit. Tum ex plenaria nostra potestate hodierno utriusque Siciliae Regi eiusque successoribus veniam seu ius impertimur nominandi infra tempus a iure praefinitum personam idoneam per Nos vel successores nostros Romanos Pontifices in Episcopum Drepanensem praeficiendam (quae siquidem in urbem ad obtinendam Apostolicam provisionem de more accedere teneatur) subindeque declaramus, quod praefatum ius exerceri quidem possit, tam hac prima vice, quam in futuris Drepanensis Episcopatus vacationibus quomodolibet dehinc eventuris. Edicimus vero ac decernimus, ut episcopalis Ecclesia Drepanensis metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore Panormitani censeatur, et sit perpetuo subiecta, iisque omnibus propterea fruatur facultatibus, exemptionibus, praerogativis, et iuribus, quae ad caeteras suffraganeas Panormitani Archiepiscopatus Ecclesias legitime pertinent. Ne vero Drepanensis episcopalnis Ecclesia idoneo administratore careat, quoadusque de suo Pastore fuerit in concistorio provisa, concedimus ac demandamus, ut eius Capitulum cathedrale intra octo dies ab exequitione Bullae inferius praecipienda valeat capitularia inire Comitia ad Vicarii capitularis electionem rite conficinadam. Praeterea praeicipimus ut fructus praefatae Ecclesiae Drepanensis in

futura illius provisione taxentur ad florenos auri de Camera bisen-
tum quinquaginta tres cum una ex tribus eiusdem floreni parte,
atque adeo istiusmodi taxa in libris Camerae Apostolicae et sacri
Collegii describatur. Postremo in earum rerum omnium, quae supe-
rius a Nobis sancita sunt, Exquitorum deputamus venerabilem fra-
trem Coelestinum Cogle Ecclesiae Patracensis in partibus infidelium
Archiepiscopum cum facultatibus necessariis et opportunis, ut ipse
per se vel per aliam personam idoneam in ecclesiastica dignitate
constitutam ab ipsomet subdelegandam omnia statuere ac decernere
valeat, ut cuncta superius ordinata et constituta ad felicem exitum
rite probeque perducantur, atque etiam cum facultate eidem Exe-
quitori sive eius subdelegato definitive pronunciandi super quacum-
que oppositione adversus praedicta quomodolibet oritura, iniuncta
quidem ipsi obligatione diligenter in decreto executoriali distinete
describendi fines totius Dioecesis Drepensis ut supra constitutae,
ac mittendi huc infra sex menses ab expleta Litterarum Apostoli-
carum executione exemplar authentica forma exaratum decretorum
omnium, quae in predicta Litterarum executione emitte, ut in Tabu-
lario sacrae Congregationis concistorialis ex more asservetur. Prae-
sentes vero Litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo
quod quilibet interesse habentes, vel habere praetendentes, vocati
et auditи non fuerint, ac praemissis non consenserint, etiamsi expres-
sa, specifica et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore
de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis
nostrae, vel quolibet alio licet substanciali et excogitato defectu,
notari, impugnari, vel in controversiam vocari, sed eas, tamquam
ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, per-
petuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et inte-
gros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus, ad quos spectat,
et quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter observari debere,
et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel igno-
ranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volu-
mus ac decernimus. Non obstantibus de iure quae sit non tollendo,
de suppressionibus committendis ad partes vocatis, quorum interest,
aliisque nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, nec non supra-
dictarum Ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione Apostolica,
vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus etiam
immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, et concessionibus
quamvis individua mentione dignis, omnibusque et singulis Aposto-

licis, et in synodalibus, provincialibus, universalibusque Conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus. Quibus omnibus et singulis, eorumque totis tenoribus ac formis etiam specialis mentio, seu quaevis expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, ipsorum tenores praesentibus pro expressis habentes ad praemissorum omnium et singulorum effectum latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Praeterea etiam volumus, ut harum Litterarum transumptis etiam impressis manu tamen aliquius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, dismembrationis, erectionis, annullationis, distinctionis, separationis, aggregationis, unionis, applicationis, circumscriptionis, concessionis, assignationis, subjectionis, attributionis, statuti, indulti, declarationis, deputationis, commissionis, mandati, decreti, derogationis, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, prius kalendas Iunii, Pontificatus nostri anno decimo quarto. Loco + plumbi. Super quibus Litteris Apostolicis ego Notarius Apostolicus praesens transumptum confeci praesentibus DD. Petro Alexandri et Philippo Topi testitub. LF - Concordat cum originali - A. Giansanti officialis deputatus - Ugo Petrus Card. Spinola Pro Datarius. - Ita est - Ludovicus Fausti Notarius Apostolicus.